FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

ENCHIRIDION || CHRISTIANAE INSTITV-||tionis in Concilio prouinciali Colo-||niensi editum, opus omnibus ve-||ræ pietatis cultoribus lon-||ge ...

Gropper, Johann

Parisiis, 1550

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150244

Visual Library

fectu & virtute cuiuslibet, quinto, de accedentium adfectu, sexto, de cuiusuis ministrio, idque quàm fieri potest, breuissimè dicturi sumus.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

Baptismi vocabulũ quid significet.

BAPTISMVS GRAECA VOX EST, SIgnicans tinctionẽ seu lotionẽ. Quãobrem vocabulum in genere acceptum, etiã ad lotionem rerum externarum accommodatur, sicut Marc. 7. legimus, Pharisęi & omnes Iudęi à foro venientes, nisi baptizentur, nõ comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt, eis seruare, & baptismata calicum & vrceorum & æraramentorum & lectorum. Transfertur item ad calicem passionis dominicæ & mortis eiusdem. Marc. 10. Potestis baptismo quo ego baptizor baptizari? id est, sanguinem fundere & suppliciũ mortis me ę sufferre? Et Lucæ 11. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor vsquedum perficiatur? id est, patiendum mihi est pro salute generis humani, id quod summè desidero. Sed quod ad propositum nostrum attinet, pro lauacro regenerationis accipitur, quod est omnium sacramentorum primum, & ianua qua in ecclesiam & ad cætera sacramenta peruenitur.

Baptismus ianua ĩ ecclesiam.

Baptismi partes.

IN baptismo duo sunt, verbũ & elementum. Verbũ est ipsa iuocatio trinitatis, huic diuinæ promissioni innixa: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, quæ peragũ hisce verbis à Christo traditis, videlicet, Ego baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. In quod quidẽ verbũ in primis intuendũ est. In aqua enim verbũ mundat. Detrahe verbũ, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbũ ad elementum, & fit sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur aut pronunciatur, sed quia creditur. Nã & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Propterea dixit Apostolus: Christus dilexit ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea, vt eam sanctificaret, mundãs eam lauacro aquę in verbo. Mundatio igitur nequaquã fluxo & labili tribueretur elemento, nisi accederet verbum quo accedente fit sacramentum, quod perinde se habet atque visibile verbum.

Aug. in Ioan tract. 80. Item in Ioan. tracta. 53. Aug. contra Fau. li. 19. c. 16. Ephe. 5. Aug. contra Faust. li. 19. c. 16

Sententia verbi baptismi.

NAm quum dicit minister, Baptizo te in nomine patris & filij & spiritus sancti, sensus verborum est: Hoc visibili signo tecum paciscor ac testor, te recõciliari Deo, te recipi à Deo, qui est pater filius & spiritus sanctus. Nam quid aliud est baptismus, quàm fœdus Dei cum homine, & hominis cum Deo? Nam quatenus homo, satanæ & mũdi gloriæ, pompisq; abrenũtiat, & se vero Deo astringit, ad mortificãdum per omnem vitam membra peccati, est fœdus hominis cum Deo. Rursus quatenus se Deꝰ vicissim homini astringit, quòd peccata illi remittat, quòd propter filiũ recipiat, quòd spiritũ sanctum donet, qui viuificet & sanctificet: fœdus Dei cum homine dici potest, quod diuus Petrus grauissimè testatur: Sic & vos (inquit) baptisma saluos facit, nõ carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonę interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Id est baptismum esse non tantum externam sordium corporis ablutionem, sed pactum bonę conscientię erga Deum per resurrectionem Christi, quo Deus erga nos testatur, se nobis placatum esse propter resuscitatum Christũ, vt vicissim hoc fœdere bona conscientia bene respondeat apud Deum, confidens se habere placatum Deum propter Christum.

Baptismus fœdus Dei cũ homine, & fœdus hominis cũ Deo.

Roma. 6.
Tit. 3
1. Petr. 3.
Aug. in Ioan. tracta. 80
Tit. 3
Act. 8.

Circuncisio, figura baptismi.

TYpus autẽ baptismi in Veteri lege, circũcisio fuit, in mysterio & significatione cum baptismo conueniens, adeò vt beatus Athanasius dixerit, baptismum esse ipsam circũcisionem spiritualem. Quemadmodum enim circũcisio signũ seu pactum fœderis inter Deum & Abraham, Abrahęq; posteros fuit, vti scriptura dicit: Statuam pactũ meũ inter me & te, & iter semẽ tuũ post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuꝰ, & seminis tui post te. Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuũ post te in generationibus suis. Quod pactum subinde exprimẽs, ait: Hoc est pactũ meũ, quod obseruabitis inter me & vos. circũcidetur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem pręputij vestri. Infans octo dierum circuncidetur in vobis, eritq; pactũ meum in carne vestra in fœdus ęternum. Ad eundũ modum in Euãgelio discipulis loquitur Christus: Ite (inquiens) docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti. Et in Actis ait Petrus: Baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi, in remissionẽ peccatorũ. Et quẽadmodũ dicit scriptura veteris legis, Masculus cuius præputij caro

Ath. lib. quæ. quæstio. 38.
Gene. 17

Analogia baptismi ad circuncisionem.

Mat. 24
Acto. 2.
Gene. 17

tij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Ita de baptismo dixit Christus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. *Ioan.3.*

ET vel ex hoc ipso refelluntur impij Anabaptistæ, qui baptismum infantiũ impiè negãt ac auersantur. Nã Deus in veteri lege circũcidi iussit infantes, vt insererentur synagogæ, & adiecit pactum promissionis: Ero Deus eorum. Ergo per baptismum, qui circuncisioni successit, pueri inserendi sunt ecclesiæ, extra quã non est salus, ne excludãtur à regno Dei: quod Christus ad eos pertinere apertè asseruit: Sinite (inquit) paruulos venire ad me. talium enim est regnũ cœlorũ. Item, Nõ est volũtas corã patre vestro qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Et iterũ, Videte ne contẽnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum semper vidẽt faciẽ patris mei, qui in cœlis est. Quibus verbis testatur paruulos Deo placere, & per Deũ custodiri. Et sicut pactũ circuncisionis non ideo minus ad infantes pertinuit, quòd non intelligerent quid ageretur, ita nec baptismus propterea minus valet in infantibus, quòd nõdum intelligant pactũ gratiæ diuinæ, quo remittitur ipsis peccatũ originale. In fide enim ecclesiæ per verbũ credentis, offerentis, benedicentis, tingentis, etiam tantilli mundantur infantuli, quanuis nondum valentes corde credere ad iustitiã, & ore confiteri ad salutem. Sed quid opus est errorem ab ecclesia catholica à temporibus Apostolorum semper damnatum, pluribus reuincere? Tantum de verbo Baptismi.

Anabaptistæ dãnantur. *Gene.17.* *Mat.19.* *Marc.10* *Luc.20.* *Mat.18.* *Aug. ad Bonifaciũ epist.23 in Ioã. tract.80.*

ELementũ autem seu materiale externum huius sacramẽti est aqua. Ideo autem per aquam celebratur, vt sicut aqua corporis sordes abluit, ita credamus & nos per baptismũ ab omni peccato spiritualiter mundari, innouari & regenerari, vt quod ĩcorporale est, inuisibiliter abluatur. Vnde & lauacrum regenerationis appellatur. Natura enim nascimur filij iræ, sed baptismus regenerat nos filios gratiæ. Natura nascimur ex sanguinibus, ex voluntate carnis, ex volũtate viri, hoc est in peccatis: sed ex baptismo renascimur fili Dei: nimirũ Christo filio Dei per baptismũ inserti, sicut Paulus ait, Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Elemẽtũ baptismi aqua.* *Quid signet aqua.* *Ephe.5.* *Ephe. 2.* *Ioan.1.* *Galat.3* *Amb. de myst. init. lib.3.*

PORrò omnino conueniebat, vt huius sacramenti elemẽtum aqua esset. Nam inter alias huius sacramẽti figuras,

baptismi typus diluuium fuit. Nam quemadmodũ Deus per
Gene.7. diluuium mundum perdidit, & paucos in arca seruauit per a-
1.Pet.3. quam sic per baptismum mundus, id est peccata pereunt, &
baptizati in arca ecclesiæ, ex aqua emergẽtes seruãtur. Atq;
caro immergitur, vt significetur illic veterem hominem mo
ri ablui omne peccatum. sepeliri omne vitium. Ex aqua re-
ducimur, vt significetur, illic nos in nouitatem vitæ resurge
Per baptismũ Christo cõmorimur. re. quemobrem Paulus passim ait per baptismum nos cõmo
ri & cõsepeliri Christo, & resurgere cum Christo. Roma.6.
Quicũque (inquit) baptizati sumus in Christo Iesu, in mor
te ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cũ illo per
baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mor
tuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambule-
mus. Rursus, consepulti Christo per baptismũ in quo & re-
surrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum
Colos.2. à mortuis. Hinc illa exhortationis vox: Igitur si cõsurrexi-
stis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi est Christus in
dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super
terram. mortui enim estis, &c. Et iterum: Mortificate ergo mẽ-
bra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immundi-
tiam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiam. Ergo
baptismi mysteriũ non leuiter transmitti, sed hæc quę signi
ficat & requirit per omnem vitam meditari, in his exerceri
2.Cor.4. oportet, vt mortificationẽ Iesu Christi ĩ corpore nostro per
Roma.6. petuo circunferamus, id est vt exẽplo Christi Deo viuamus
mortui mũdo. Et vt Christus, quòd mortuus est, mortuus est
semel, quod autẽ viuit, viuit Deo: ita nos peccato semel mor
tui, voluntatem nostram Dei voluntati attemperemus. Mor
Roma.8. tificanda est enim non natura, sed cõcupiscentia mala. Si enim
(vt Paulus ait) secundum carnẽ, id est secundũ carnalẽ con-
cupiscentiam vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta car
Athana. nis mortificaueritis, viuetis. vbi Athanasius: Corpus (inquit)
non morte conficiendum, sed opera carnis, quæ Paulus ad
Galat. 5. & Colos. 3. enumerat.

1.Cor.10 MAre etiã rubrum, sacramentum seu signaculum ba-
ptismi fuisse declarat beatus Paulus, dicẽs: Nolo enim
vos ignorare fratres, quia patres vestri omnes sub nube fue-
runt, & per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati
sunt, in nube & in mari. & adiecit dicens: Hęc autẽ omnia in
figura nostri fuerũt, significans in baptismo, diabolũ (cuius

Pharao

Pharao imaginē gesit(nequitię suę vires amittere. Pharao enim reluctatus, & in sua perfidia demoratus, tādiu restitit ac pręualuit, donec ad aquam veniret, quo quū venisset, victus est & extinctus cum suo satellitio: sic hodie per exorcismos, voce humana, sed potestate diuina flagellatur, vrit, & torquetur diabolus: interim tamē fallax est exire se & homines dimittere simulans Sed quū ad aquam salutarem & baptismi sanctificationem venitur, scire debemus & cōfidere, quòd illic diabolus opprimitur, & homo dicatus Deo, diuina indulgentia liberatur.

Cæremoniæ circa baptismū

IAm de mysticis ritib⁹, quos ecclesia in baptismo adhibet, paucis agemus. Adhibētur (vt & suprà diximus) nō temerè, sed vt viua quædā incitamenta fidei & pietatis ad formā dā religionem necessaria, nimirū quibus manuducitur vulgus ad intelligendum & retinendū mysteria Christi. Pædagogia enī & lacte ei principio opus est, vt assuescat discipli-

Hebræ. 5

Cæremoniæ ecclesiasticæ vetustissimæ

næ Christi: Nec dubium est, maximam cęremoniarum partem, quæ circa administrationem adhibentur, à primitiua & apostolica ecclesia ad nos peruenisse, vt ipiè abiiciatur quod tot seculis, tot sanctissimis viris sacrosancto est habitum.

Consecratur fons.

IN primis cōsecratur fons baptismatis, & signatur oleo vnctionis duobus solennibus anni diebus, quādo in primitiua ecclesia baptism⁹ recipi cōsueuerat, nēpe Paschę & Pentecostes, quem ritum ex ecclesia matrice ad nos deriuatū, diuus Augusti. passim testatur, quanquā tempore necessitatis etiā aqua non cōsecrata, liceat baptizare. quod Victor Ro. pont. qui circa annum 190. vixit, decreuit. quo Decreto primitiuæ ecclesię consuetudo apertè comprobatur.

c. ecclesiasticarū. 11 dist.

Ex Decreto Victor.

QVum vero baptismus ministratur, prīcipio adhibetur exorcismus, qui verbo & exufflatione peragitur, vt spiritus immundus à baptizando expellatur, vtq; per purū sacerdotis ministerium, Spiritui sancto cedat fugiens malignus. Non enim natura (vt inquit Augustinus) exorcizatur aut exufflatur, sed ille sub quo sunt qui sub peccato nascuntur. Adiurātur ergo, vt expellat ab eis potestas inimica, quę decepit hominem, vt possideret hominē, ne post hac cōtendat eos subuertere, nec hoc sacrum signaculū vnquā audeat violare. Quem ritum antiquissimū esse, ex Tertulliano, Hieronymo, Ambrosio, & quem citauimus, Augustino, Chrysostomo, Cœlestino papa, aliisque patribus discimus.

Vide Augusti. lib. 2. de gratia Christi & pec. origin. c. 40. Li. de symbolo.

Gene. 3.

Signũ crucis in fronte.

DEinde signũ crucis fit principio in frõte, ad significandum, quòd baptizandus nomen dat Christo crucifixo in quo confidat, & quem publicitus confiteri nunquam erubescat. Super oculos dein, vt intelligamus baptizandũ præparari ad videndũ charitatem Dei. Super aures quoque, vt intelligamus eum consecrari, vt audiat verbũ veritatis Dei. Super nares etiam, vt percipiat suauitatẽ odoris Dei. Signatur quoque pectus, vt credat in eo: quia corde creditur ad iustitiã. Scapulæ quoque, vt suscipiat iugũ seruitutis Dei, iuxta Christi præceptũ: Tollite iugũ meum super vos. Os denique, vt confiteatur illi: quia ore confessio fit ad salutem.

Super oculos.
Aures.
Nares.
Pectus.
Roma. 10
Scapulæ.
Os.
Roma 10

Sal cõsecratum quid significet.

INter exorcizandum, sal consecratum in os baptizandi datur, vt per sal typicum cõditus, iniquitatis fœtore careat, id est carere significetur, vtque à vermibus peccatorũ vltrà ne putrefiat, sed magis illæsus, ad maiorẽ gratiam recipiendam seruetur, ac ad sapientiæ saporem præparetur.

Beda. Lectio euangelii. Matt. 19

DEin legitur Euãgeliũ, Oblati sunt Iesu paruuli: quo significam⁹ nos peruulos nostros offerre Christo, quia ipse dicit: Sinite paruulos venire ad me. Et quoniã addit: Talium est enim regnũ cœlorum. Offerimus etiam eos Christo baptizandos. Si enim illorum est regnum cœlorum, nõ negabit eis Christus baptismum, qui est (vt diximus) ianua, quà in ecclesiam, & subinde in regnum cœlorum intramus.

Ecclesia ex institutiõe Christi offert ei paruulos baptizandos.

POst, patrini manũ infanti imponunt, symbolúmque recitant & orationẽ dominicam, quòd ecclesiam referãt, quæ domino pueros offert baptizandos, & in suã illos fidem recipit. Offeruntur quippe paruuli ad percipiendum spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus, quãuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sint, quàm ab vniuersa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnib⁹ nanque rectè offerri intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum sancta atque indiuidua charitate ad cõmnnicationem sancti spiritus adiuuantur. Tota ergo hoc mater ecclesia, quæ in sanctis est, facit, quia tota omnes tota singulos parit. Vnde nõ fides illa particularis, quæ in patrinorum credentium voluntate consistit, sed fidei sacramentum fidelem facit. In ecclesia ergo Christi per alios paruuli credũt, sicut ex aliis (quæ in baptismo remittũtur) peccata traxerũt. Deinde patrini se quodãmodo fideiussores cõstituunt pro baptizatis. Ideóque semper admonere debẽt eos, vt castitatem custo-

Patrinorũ munus

Aug. ad Bonif. de baptis.

In baptismo paruuli per alios credunt.

ustodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant, ante omnia vero, symbolum & orationem dominicam edoceant.

Illinitio sputi quid significet, Ioan. 9.

DEinde illinitur sputū naribus & auribus, exemplo Christi, qui prius cæci nati oculos luto è sputo facto sublinuit, & sic ad aquas Siloë misit. Illinitio vocationem ad gratiam baptismi significat. vnctus nondum videt, sed mittitur, vt lauet ad aquas Siloë, id est vt baptizetur in misso, id est Christo: id enim Siloë significat. Et dicitur ei verbum Euangelicum, quòd Iesus, quando mutum & surdum sanauit, tangens sputo linguā eius, & mittēs digitos in auriculam eius, dixit: Epheta, quod est adaperire, verbum sanè sacramento conueniens. Admonentur enim baptizandi per saliuam typicam & saluatoris factum, vt aperiantur ipsis nares ad odorem notionis Dei & vitæ æternæ capiendum, quo baptizati dicant: Bonus odor Christi sumus: vtque aperiātur eius aures ad audiendum verbum & mandata Dei. Saliua, typus est sapientiæ & gratiæ Dei & discretionis fidei, cuius acceptio in auditu, & discretio in naribus significatur.

Siloe quid. Marc. 7.

2. Cor. 2. Saliua quid.

Mysteriorū quæ apud fontem celebrantur, expositio.

POst peractum exorcismum succedūt mysteria quæ apud ipsum fontem celebrātur. In primis quæritur de nomine infantis. Nā vetustissimo ecclesiæ more ante baptismum, baptizādi nomen suum dant, quo significatur, eos per abrenunciationē prioris possessoris, se nomen dare Christo, vt in illius dominium transeāt. A nomine enim quod ab Adam habebant, scilicet filij Adæ vocati, ad nouū nomen quo filij Dei vocātur, perueniunt: quinimo tum demum nomen acquirunt. antequā enim baptizemur, fide & nomine caruimus. Postquam verò inuocatur nomen Dei super nos secundum nomen eius vocati sumus. Reddito nomine, baptizandus ter abrenuntiat. Nam interrogatus, Abrenuntias satanę? respondet, Abrenuntio. Et omnibus operibus eius? respondet, Abrenuntio. Et omnibus pompis eius, omni vanitati & gloriæ seculi, fastui, luxui, voluptatibus, breuiter omnibus vitiis? respondet, Abrenuntio. Quam ecclesiæ primitiuæ cō suetudinem fuisse, docet Tertull. De corona militis. Debet ergo baptizatus tota vita esse memor sermonis sui, & nunquam cōmittere vt sibi excidat suæ series cautionis. Per verbi enim illius renunciationis, quæ in baptismo fit, recordationem, diabolicas incantationes, fastum, voluptates, breuiter, omnia peccata facilè vincemus.

Trina abrenunciatio.

Tertul. de corona milit. Ambro. de myst. init. ca. 2. & lib. 1. de sacra. cap. 2.

Oleũ cathecumenorum.

POst hęc baptizandus oleo cathecumenorũ inungitur in pectore & inter ſcapulas, at poſt baptiſmũ, chriſmate in vertice. De chriſmate poſtea latius dicemus. Quod autẽ ad vnctionẽ (quæ in baptiſmo fit) attinet, beatus Auguſtinus traditionis apoſtolicę eſſe dicit: eam ſiquidem ab apoſtolorũ temporibus ad nos vſque deriuatã, & canones Clementis ac Fabiani põtificis, & pleraque Cõcilia declarant. Prioris vnctionis, quæ ante baptiſmum fit, myſterium Auguſtinus explicat: Vngimur (inquit) in pectore & ſcapulis, quoniam fides mente concipitur & opere perficitur. Vngitur pectus, vt ſignificetur hoc pectus cõſecrari Chriſto, & mentem in ſanctæ trinitatis fide confortari, in qua amodo nullas reliquias latentis inimici reſidere oporteat. Vngitur inter ſcapulas, vt ſignificetur, baptizãdum per gratiam vndique muniri ad bona opera facienda, & ad portandum onus Domini, fortitudinem accipere, quemadmodũ diuus Ambroſius ait: Vnctus et quaſi athleta Chriſti, quaſi certamen huius ſeculi luctaturus.

c. eccleſia ſticorum. 11. diſt.

Roma. 10
Roma. 2.
Iaco. 2.

Inter ſcapulas cur.

Amb. de ſacr. c. 2.

Cateche ſis.

VNctioni ſuccedit catecheſis, id eſt inquiſitio de fide trinitatis, idque iuxta dñi noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris imperiũ, qui quum ad patrem in cœlum aſcẽderet, apoſtolis mandauit: Euntes (inquit) docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Quod autem interrogamus, Credis ſanctã eccleſiã, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionẽ, & vitam æternã poſt mortem, nõ eo modo interrogamus, vt quomodo in Deum creditur, ita & in eccleſiã ſanctam credatur, ſed vt in eccleſia ſancta cõuerſantes, in Deũ credamus. Nam eccleſia ꝓpterea ſancta & catholica eſt, quia rectè creditur in Deum. Proindéq; interrogatur: Vis baptizari? & reſpõdetur, Volo. Nemo enim ſaluatur inuitus, ſed volẽs, vt integra ſit forma iuſtitiæ. Sicut enĩ homo propria arbitrij libertate ſerpenti obediens periit, ſic vocante ſe gratia Dei, propria mentis conuerſione ſaluatur.

Mat. 28.

Vide expoſi. ſymbol.

Eccle. 15.
Ex cõcil. Toleta.

Verbum formale baptiſmi.

QVo facto, baptizatur tandem infans in hiſce Domini verbis: Et ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Quid autem verba iſta ſignificẽt, & quod fœdus inter Deum & hominem hiſce verbis cõtrahatur, ſuprà diximus.

Infans tingitur.

TEr verò infans vel immergitur vel tingitur aqua baptiſmatis. Baptizamur enim in Patrem & Filium & Spiritũ ſanctum ad ſingula nomina, ad ſingulas perſonas tingimur, vt æqua-

vt æqualitas, eadémque personarum potestas ac maiestas declaretur, vt trinitatis vnũ appareat sacramentũ. Tertio quoq; repetita immersio vel tinctio, typum triduanæ domini sepulturę exprimit, per quam Christo consepulti sumus in baptismo, & cum Christo resurreximus in fide, vt à peccatis abuti, in sanctitate virtutum viuamus, imitando Christum.

Aug. de cõsec. dist. 3. c. postquàm.

Roma. 6.

POst baptismũ, baptizatus inũgitur chrismate, sed in vertice, cuius mysteriũ diuus Ambrosius declarat, dicẽs: Memento quid tibi dixerit, nimirum sacerdos baptizans, Deus (inquit) pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & spiritu sancto, concessitque tibi omnia peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam. Noli ergo hanc vitam illi æternæ vitæ anteferre. Verbi gratia: Si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem vt præuaricaris, vide quid eligas. Noli eligere in quo non es vnctus, sed elige in quo es vnctus, & vitam æternam vitæ præferas temporali per Christum Iesum dominum nostrum. In capite verò vngitur baptizatus, vt norit se capiti Christo insitum, vt sciat se iam à Christo nomen accepisse, seque Christo nomen dedisse, hoc est Christi militiæ esse inauthoratũ. A chrismate enim nomen habet Christianus, sicut & chrisma à Christo, in cuius nominis inuocatione, ad eum quem diximus inungendi vsum, præparatum est chrisma.

Inunctio quæ charismate in vertice fit quid signet.

Amb. de sacr. c. 2.

Vnctio quæ fit in capite, quid signet.

Christus.

Chrisma.

Christianus.

POstremò baptizatus alba veste vestitur, quod est signum manumissionis & libertatis, teste Tertulliano. Notat quoque innocentiã & puritatẽ Christianã, quam post ablutas veteres peccatorũ maculas studio sanctę cõuersationis immaculatam seruare debet, ad repręsantandum eam ante tribunal Christi. Olim in primitiua ecclesia, baptizati adulti per totã hebdomadam stolis albis sese vestiebant. quemobrem dies ille dominicus proximus post pascha, dominica in albis vocatur: qua ceremonia ecclesia & fidem & vitæ innocentiã, religionisque puritatem animis nostris imprimere studuit.

Tertullianus.

Amb. de myst. icarnat. christ. cap. 7.

Dominica in albis cur dicatur.

VIrtus, efficacia, seu effectus baptismi, satis superque ex prędictis colligitur. In baptismo enim per aquã & spiritum in paruulis originalis culpa aboletur, & ex filio iræ fit filius Dei. In adultis verò tam originalia quàm actualia seu personalia peccata delentur. Morimur enim in baptismo peccato, victuri Deo in Christo Iesu, qui per lauacrum aquæ mũdat ecclesiam, in verbo vitæ, vt exhibeat ipse sibi glorio-

De re sacramenti baptismi

Roma. 6.

Ephes. 5.

ſam eccleſiam, non habentẽ maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata. De hoc baptiſmi fonte vaticinatus eſt Zacharias: In die (inquit) illa, erit fons patens domui Dauid, & habitãtibus Hieruſalem, in ablutionem peccatorum. Itidem Ezechiel, dicẽs: Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mũdabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri. In baptiſmo enim regeneramur ac renaſcimur, ſicut Chriſtus in Euangelio dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei. Ad Tit. 3. Secundũ ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Quotquot enim baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, Chriſtum induimus. Effectus ergo baptiſmi eſt mors peccati, vt aliaſcquatur natiuitas, quæ corporis manente compagine, hominũ mentẽ innouat, ſepulta omnium peccatorum vetuſtate: quãquam idem baptiſmi effectus demũ morte corporali (quã animo & corpore peccatis penitus defungimur) abſoluatur.

Zach. 13.
Ezec. 35.
Ioan. 3.
Galat. 3.
Amb. in epiſtol. ad Ro. c. 6.

Concupiſcẽtiæ fomes, ſoluto reatu remanet in baptizato.

Iam ſi quis quærat: Si verum eſt, in baptiſmo deletum eſſe peccatum, quod à parentibus contraximus, quur adhuc manet cupiditatis fomes, & veluti incentiuum quoddam peccati? Neque enim dubium eſt quin à primis parentibus in nos traducta ſit lex iſta peccati ſeu membrorum, id eſt concupiſciẽtia, quã Paulus opponit legi mentis ſeu Dei, dicens: Cõdelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ & captiuantem me in lege peccati, quę eſt in mẽbris meis. Omnes ſiquidem in peccatrice voluptate generamur, propterea licet inuiti, etiam poſt baptiſmum illicitos quoſdam & beſtiales propemodum motus ſentimus, qui aſſiduam in nobis pugnam generant, Paulo teſte: Caro enim cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus auem aduerſus carnem, &c. Huic ergo quæſtioni reſpondendum eſt in baptiſmo imputationem & reatum omnis peccati tolli, qui deletur chirographum damnationis noſtræ, & reſponſum mortis quod in nobis ex inueterato hulcere manabat. Reatus enim ſeu imputatio in peccatum, propriè peccatum eſt. Beatus enim vir

Rom. 7.
Bernard. in ſer. in cœna domini de baptiſ.
Galat. 5.

Peccatũ propriè reatus.

cui

cui non imputat dominus peccatum. Sed manet concupiscē-
tia, quæ licet à Paulo interdum peccatum dicatur, veluti quū
ait: Si autem quod nolo, illud facio, iam nō ego operor illud,
sed quod habitat in me peccatum: Tamen post baptismū fo-
mes non imputatur in peccatum, nisi ei mens seu voluntas as-
sentiatur. Atque hęc est eximia basptimi virtus, quòd non tā-
tum peccatum tollit, sed & contra hunc fomitem gratiam cō-
fert, ne iam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consen-
su abstineamus: quod vt facere possimus, impartit nobis Deus
in baptismo spiritum, cuius dictū sequuti, non in nostra, sed
in eius virtute de cōcupiscētia ac diabolo triumphemus, at-
que in hunc modum hanc quęstionem dissoluit Paulus: Infe-
lix (inquit) ego homo, quis me liberabit de corpore mortis
huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrū. Vt
ergo concupiscentiam, quæ radix est amaritudinis, quę seges
est omnium malorum, reprimamus, ne germinet iterum, de-
nique, vt eradicemus eam, tota vita elaborandum est. Et per-
pepetuo Paulo orandum, vt spiritus ille in baptismo nobis
collatus, integer perseueret in nobis: nimirum vt gratia spiri
tus sancti (quæ spiritum nostrum mouet, incitat, purificat, fo
uet, ac confirmat) nunquam auferatur à nobis, sed in viscerī-
bus nostris cōtinuo innouetur, vt illius virtute iustificatio le
gis impleamur in nobis, qui non secundū carnē ambulamus,
sed secundum spiritum. Si quis autem hunc Christi spiritum
non habet, hic non est eius. Si verò Christus in nobis est, cor
pus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vi-
uit propter iustificationem. Ergo (vt Apostolus infert) debi-
tores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim
secundū carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta
carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim spiritu Dei
aguntur, hi sunt filij Dei. Reddit autem ipse spiritus testimo
nium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, quum sentimus,
nō accepisse nos spiritum seruitutis iterum in timore, vt sci-
licet Deū tanquam tyrannum aliquem metuamus: sed quum
sentimus nos accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei, in
quo filiali amore perciti clamamus, Abba pater. Si autem per
baptismum filii, ergo & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæ-
redes vero Christi. Si tamen compatimur, vt & conglorifice-
mur. Baptismi ergo vis & effectus tota vita in nobis ad hunc
modum (vt diximus) exercendus est, atque in viuendum, vt

Psal. 31.
Roman. 3.
Roma. 7.
Roma. 8.

Præcipua virtus baptismi.

Roma. 7.

Concupiscētiam vt mortificemus tota vita enitēdum.

1. Thess. 5
Psal. 50.
Roma. 8.

Iustificatio legis quomodo à iustificatis impleatur.

Quomodo spus Dei reddat testimonium spiritui nostro de vocat. nostra
Roma. 8.

Baptismi vis tota vita exercēda.

Mortificatio i homine quomodo peragatur.
Philipp. 1.
1. Cor. 15.

vitali huic moriamur vsui, vt seipsum homo sibi abneget, & totus mutetur, imitans Christum ducem. Quod faciendo, tãdẽ etiã absq; molestia mortificationẽ carnis (in domino obdormientes) pergamus. adeò, vt cum Paulo dicere libeat: Mihi enim viuere Christus est, mori lucrũ: nimirum quòd hoc mortale induet immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionẽ. Tunc enim planè effectus baptismi absoluetur, nempe per corporis resurrectionẽ, cuius baptisma est pignus & imago (si diuo Ambrosio in epistolam ad Romanos credimus.) sed de hoc latius suprà diximus circa articulum symboli, qui de carnis resurrectione est.

Ambr. in epistol. ad Rom. ca. 6

De affectu quo ad percipiẽdũ baptisma accedendũ sit.

DE affectu quo ad baptismum accedendum sit, in canonibus concilij prouinciali, sub titulo De administratione sacramentorum, dictũ est, vt hîc repetere non sit necesse. Qui adultus accedit, cogitare debet, se huius sacramẽti perceptione, seipsum totum Christo offerre, seque exutum veterem hominem, nouúmque indutum exhibere, repræsentaréque, atque hoc tota vita conaturum, vt candidam illam vestem, insigne libertatis & manumissionis ab omni peccatorũ labe immaculatam, ad tribunal Christi perferat. Quòd si totum ludicrè, mimicè & ioco ageretur, tum nec recipitur sacramentum, nec res sacramenti, si indignè aut irreuerenter propositum peccãdi retinens, quis accedat, characterem quidem sacramentalem recipit, sed rem sacramenti, (id est, gratiam) nullam consequitur: postea tamen reconciliatus ecclesiæ, effectum sacramenti absque noua tinctione per pœnitẽtiam recipit ac indispicitur.

Vide Magist. in 4. dist. 4. & 5. arti. Solet etiam &c.

Cypri. de cardi. op. Christi serm. de bapti. Chri. Tertul. in lib. de exhor. casti. Hier. aduer. Lucifer.

MInister sacramenti, sacerdos est, in quo (quantum ad sacramenti efficaciam attinet) vitæ meritũ non respicimus. Nam reuera non homo est, sed Christus qui baptizat: sacerdos verò legatione tantum pro Christo fungitur, per quem Christus baptizat. Et quanuis sacerdos dicat: Ego te baptizo, tamen vt eum non aliter quàm ministrum hoc agere intelligas, non in nomine suo, sed in nomine patris & filij & spiritus sancti, baptizare se dicit, quemadmodum Paulus ait, Nũquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?

1. Cor. 1